DE CORPORIBUS ALIENIS IN ARTICULIS OBVIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
SIBI CONCEDANTUR
DIE X M. APRILIS A. MDCCCXXVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS ADOLPHUS KOEHLER
TREPTOWIENSIS.

OPPONENTIBUS:
J. NIETHE, MED. DR.
M. GEISLER, MED. DR.
F. KESSLER, MED. CAND.

BEROLINI.
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

FRATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

CAROLO KOEHLER

MED. ET CHIRUG. DOCTORI, MEDICO FORENSI, CRUCIS FERREAE EQUITI.

MAXIME DE SE MERITO

HOC

JUVENILE OPUSCULUM

GRATISSIMI ANIMI SIGNUM

CONSECRAT

AUCTOR.

PROŒMIUM.

Berolini quondam vir locuples desiluerat, eodemque momento dolorem sensit tam vehementem, ut lugubrem edens clamorem viribusque infractis in terram delapsus ab accurrentibus domum et in lectum esset ferendus. Articulus inde genualis inflammatur et febris mox inflammationem secuta, eum proceritatis gradum assequitur, ut quinto iam die aegroti mortem adducat. Articulo deinde aperto, infra membranam synovialem album, laeve, splendens concrementum cartilagineum, fabae magnitudine et forma invenitur, quod femoris condylo adhaeret et ejus involucro cartilagineo quasi fossam impressit. Quod factum in academicorum meorum studiorum initio ab amico, medicinae candidato, mihi relatum ita meum tenuit animum, ut usque ad hoc tempus in memoria remanserit, et accidente, quam ad finem narrabo re gesta, me dehac productione morbosa dissertationem conscribere moverit, cui, tironis primities, Tuum L. B. mite petit judicium

AUCTOR.

Membranae synoviales 1), per totum corpus diffusum systema membranaceum, quod ossium in articulis fines conjungendi est adjumentum, materiamque praebet ad eos lubrificandos, ut tunicae serosae et bursae mucosae, saccos plane formant clausos 2), qui parte reflexa duorum ossium vicinorum, inter se mobilium, fines amplectuntur, iisque accuratissime sunt conjuncti, ut, si quo morbo laborant, et illa modo tenui valetudine utantur. Latus internum est laeve, externum, tela cellulosa vivinis conjunctum partibus, asperum. Saepe in earum antra corpuscula sui generis prominent, multis instructa vasis, qua re praecipue ad fines solutos, ubi fimbriis sunt praedita, rubicunda apparent. Quibus corpusculis ab Havers, qui primum illa observavit, et structuram iis glandulosam, et synoviam sucernendi functionem vindicavit nomen est glandulis Haversianis. Maxime, ne comprimantur, in ossium impressionibus sitae sunt, ita tamen, ut ossa, si moventur, leniter iis incumbant, e quibus tunc fluidum mucilaginosum progredi traditur. Functioni vero iis tributae Meckel 3) opponit; primum, tunicas et serosas secernere materiam similem, quamvis hocce apparatu plane destitutas; dein, has glandulas in omnium articulorum tunicis synovialibus

---

1) J. Meckel Anatomie Vol. 1.

2) Magendis, Presis élémentaire de physiologie. Paris 1817. Tom. II. pag. 350, hanc membranam ad cartilaginum tantum fines se extendere dicit.

3) lib. c. Vol. I. §. 376.

non inveniri, quum tamen ubique synovia secernatur; tum, eas structuram proprie glandulosam, a tela cellulosa adipe impleta diversam, non habere, et quamvis interdum sat magnae reperiantur, tamen omnem iis deesse ductum excretorium; denique, similes appendices, nihil secernentes, pluribus locis et in tunicis serosis apparere. Interea vasorum copia et res, quod in finibus solutis fimbriis sint praeditae, attamen eas partim secernere, partim resorbere, probare videtur, quaelibet enim fimbria imo ductum emissorium formare potest, in apice se aperiens, aut secretum per parietes suos tenues transsudans; praeterea tum id, qnod similibus in organis, quae etiam secernunt, et quibusdam in articulis deficiunt, tum structura earum simplex opinionem, eas secernere, non plane refurtare videtur.

Membranae synoviales ipsae non magnam vasorum sanguiferorum copiam nullosque accipiunt nervos, quibus exinde in statu sano deest sensibilitas, non autem in morboso, quippe quae tunc ex organorum vicinorum cousensu procreari potest. Structura earum est simplicissima, et ei telae cellulosae maxime appropinquat, qua re magnum extensionis gradum, si haec pedetentim fit, e. g. hydrope articuli, sustinent; si interea vis subito in eas agit, e. g. ictus aut lapsus, facile dilacerantur. Fluidum, quod in toto ambitu interno secernitur, et veresimile etiam ab illis corporibus glandulosis, quae tamen maxime in articulis praecipuis tantum inveniuntur, est spissum, nitens, tenax, albumini simile, et ad ossium fines lubrificandos atque

ad frictionem evitandam servit. Ubi igitur membranae synovialis functio primitus aut ex alio morbo laesa, ubi secretum tenuissimum vel minimum adest, articuli impeditae mobilitati in eius motione crepitus advenit, e. g. in articuli hydrope; in tumore albo scrophuloso.

Ut fere omnia secreta in aetate iuvenili copiosa et minus sunt saturata, ita et hoc; in aetatae senili contrarium intrat, quo fit, ut mobilitas difficilis et articulorum inclinatio ad anchylosin animadvertantur. Synoviae analysis usque ad hoc tempus non existit, et ex experimentis a Margueron et Davy institutis de bovum synovia traditur, maximam eius partem esse aquam, in qua magna albuminis copia, praetereaque gelatina et salia phosphorica et muriatica et natrum sint soluta.

Quibus contemplationibus anatomico - physiologicis mihi opus esse videbatur, ut postea in eo, quod attinet ad corporum alienorum originem, ad eas provocare posssem.

Primi corporum in articulis mobilium exempli a Paraeo a M. D. LVIII. mentio facta est, qui fortuito durum, albissimum, nitens corpus in articuli genualis hydrope invenit. Quo ab tempore usque ad medium seculum duodevicesimum non multa huius morbi exempla sunt tradita, cui rei non tam in eo, quod raro adfuerint, quam quod non accurate sint observata, et quod morbus, ut plane fere incognitus, non sit evestigatus est argumentum. Exinde interea in omnibus fere terris a clarissi-

mis Chirurgis Medicisque sunt observata et descripta, ita ut nunc ubique uon parum sint nota.

Corpora haec aliena omnibus in articulis oriri possunt, saepissime interea in articulis maxillae inferioris, et cubiti, et praecipue genu apparent. Numerus eorum valde est diversus, et ad viginti, triginta et quod ex currit crescere potest, sic Haller 1) in articulo maxillari, Morgagni in eo cubiti plus viginti, et Home in articulo spurio triginta ad quadraginta invenerunt 2); imo iam in uno eodemque homine in diversis articulis plura sunt visa, vulgo interea unicum adest.

Uti copia ita etiam eorum magnitudo diversa est, quae plerumque maioris momenti, si unicum obsidet articulum, et mimoris, si plura adsunt; in genere ab auctoribus a lentis ambitu usque ad nucis iuglandis magnitudinem reperiebantur. Maximum Home invenit patellae magnitudine, et aliud paulo minus Desault 3), cuius quidem diameter maior quatuordecim fuit linearum, minorque decem.— Forma eorum plerumque est planiusculo ovalis aut rotunda, ut lentes, fabae, amigdalae; interea et rotunda vel alio modo effiçta inveniuntur. Plerumque nullae articuli parti adhaerentia libere in synovia, ab una parte ad alteram movenda, natant, interdum quoque capsulae synoviali sunt

---

1) Elementa physiologiae Tom. VI. p. 9.

2) Abernethi quondam centum grandinis magnitudine in articulo genu invenit.

1) P. I. Desault. Journal de chirurgie Paris 1791. Tom. II. No. XLV.

coniuncta, et sic quidem; ut lamella ejus intima illa complectatur, vel coniunctio fiat filamento, quod motum lateralem tantum permittat; sunt quoque, qui corporum plurium tam inter se, quam cum membrana synoviali coniunctorum mentionem faciant.

Quoad structuram haec corpora maxime mæssam cartilaginosam in nucleo quam in superfice duriorem referebant, interdum etiam per totam massam lapidis duritiem 4); quandoque in media parte ossea, materia cartilaginea circumdata reperiebantur, Bell 5) etiam de structura loquitur tunicosa, si scilicet e membrana synoviali promiment et ei sunt coniuncta, quo in casu autem certe nihil aliud nisi distentiones vel excrescentiae membranae syvonialis ipsae fuerunt. Russel 6) tunica tenui ea invenit contecta, quae interdum multis vassis sanguiferis fuit impleta. Quae vasa autem existere negari debet, ubi corpora nulli membranae synovialis loco adhaerent, aut entozoorum instar vitam propriam gerere illa oporteret.

Secundum a Vauquelin 7) institutam analysin elementa ab iis cartilaginum non sunt diversa. Sander 8).

---

2) Bichat, Anatomie gen. II. p. 248.

1) Lehrbegriff der Wundarzeneikunst aus dem Engl. Leipz. 1789. Tom. IV. p. 329.

2) Ueber die Krankheiten des Kniegelenks aus d. Engl, Halle 1817.

3) Brodie, pathol. u. chir. Beobecht. üb. d. Krankh. der Gelenke aus d. Engl. Hannover 1821. p. 375.

3) Einige Bemerk. über die bewegl. Conoremente in d. Gelenkkapseln, in v. Siebold. Chiron Vol. II. pag. 354.

calcariam phosphoricam, gelatinam, albumen et parum invenit natri muriatici.

Qnisque fere auctor, qui de modo, quo haec corpora oriantur, aliquid scipsit, aliam de origine theoriam profert. Mohrenheim 1). parvam cartilaginis, aut ossis cartilagine circumdati partem, quae antea femoris aut cruris fini parva esset appendix, sensim sensimque motionibus fortibus se absolvere, et in articulo postea ultro citroque cadens motionem impedire posse dicit. Bichat 2). ea fere semper e membranae synovialis ossificatione partiali orieri credit.

Morgagni e synovia concreta ea appellavit. Larrey 3). eorum originem ex eo ducit, quod quaedam cartilaginum particulae, quae in condylorum suqerficie crystallos formassent, solverentur, et tunc vel in cavo glenoidali seconglomerarent, vel vasis parvis sangine impletis, et a capsula venientibus ut tenuibus furculis haererent, usque dum haec coniunctio post ali quod tempus tolleretur, et corpuscula novarum particularum albuminis et calcariae phosphoricae accessione crescerent. Theden 4). corpora aliena a glandula in articulo compressa gigni opinatur. Theoria vero ab Hunter 5). nobis tradita haec. Sanguinem extravasatum coagulescere invenit, quod coagulum, si cum par

---

4) Beobacht. vers. chir. Vorfälle. Vol. II. Dessau 1783.
5) l. c.
1) Mem. de chir. T. II. p. 421.
2) Neue Bemerk. u. Erfahrung. Vol. I. pag. 100.
3) S. Cooper's Handb. d. Chirurgie Vol. II. p. 176.

ibus viventibus in contactu esset, has neque adeo incitaret, ut corpora quaedam aliena, neque resorberetur, sed in quibusdam casibus vitae principium retineret, vasa a vicinis arteriarum ramulis ad se alendum acciperet et postea ita mutaretur, ut partibus, quibus coniunctum, similius evaderet; porro, si coagulum superficiei se eoniungeret, cuius situs mutaretur, secundum cuiuslibet partis motionem frictione cohaesionem ipsam necessario diminui vidit et in quibuidam casibus omnino solvi; et quum e lege oeconomiae animalis cognita sequeretur, ut sanguis extravasatus, si ad partem corporis organisatam formaretur, earum partium naturam, in quas effusus, accipere valeret, ideoque eadam massa coagulata, quae rebus mutatis intumescentiam mollem formaret, si in osse vel iu eius vicinitate sitä esset, saepe durum effingeret cumulum, ei cartilagines in articulis repertae sanguis coagulatus ad cuiusdam ossis finem depositus esse videbatur, qui tunc cartilaginis structuram accepisset et se absolvisset; in sectionibus denique hominum, qui ex articulis contusis vel dilaceratis mortui essent, parvas reperiri apophyses, quae praeternaturam ortae cartilaginis duritiem accepissent, et sic essent positae, ut facile quadam motione veloci aut vehementi solvi possent.

Sander 1) maioris copiae oxygenii affluxu ad glandulas articuli inflammatas elementa, quae in fluido ab iis secreto existant, phosphorum scilicet et calcariam,

---

1) l. c.

ad calcariam phosphoricam immutari putat, quae nunc gelatina iuvante, oxygenio et calore induret, et sic primum gignat punctum corporis inorganici in articuli glandula, quod, processu durante eoque etiam finito aggregatione externa crescat, ita ut tandem glandula crepet et corpus tunc libere in articulo natet.

Schreger 2) eorum genesin duplicem esse explicat, anorganicam scilicet aut organicam.

Cartilagines anorganicas aggregatione principiorum homogeneorum e synovia innormaliter mixta, aut incrustationibus, quarum nuclei lymphae coagula, vel saepius articuli essent partes, oriri demonstrat; organicas contra alienatione vitalitatis, e dyscrasia quadam vel vi externa adducta. Has tophorum natura esse dicit, quandoque sarcomatosas, massa cartilaginosa pertextas; structurae contra osseae eas esse, quae ex ossibus ortae sint; vel firma vel laxa coniunctione cum loco, quo originem duxerint, cohaerere, vel ab eo seiunctas libere iacere, tunc autem ob asperam inaequalemque superficiem non tam esse mobiles, quam ista concrementa anorganica. Porro fundamenta ipsa, quorum pseudoproductiones exisstunt, plerumque maiori vel minori inflammatione, vel et degeneratione, e. g. venarum varicositate, intumescentia, dissolutione cariosa laborare dicit. Quae de origine opinio optima amplisssimaque mihi esse

---

1) Beobacht. u. Bemerk. über die beweg. Concremente in den Gelenken und ihre Exstirpition. Progr. Erlangen 1815.

videtur, et certe illorum corporum genesis tam diversa est quam causae. Quae quidem sunt hae. Omnes vires externae violentes, ictus, lapsus etc., quae multiplici modo corpora ista procreare possunt; primum, si vis agens fuit vehementissima, ita ut sanguinis extravasationes eam sint sequutae; hic sanguis in inflammatione, quae sequitur, non resorbetur, sed coagulatur, et sic natura mutata nucleam pro corpore alieno sistit; tum, si sanguinis extravasatio, quadam vi externa antecedente, deest, inflammatione oriente, plerumque mox chronica, membranae functio si non tollitur tamen mutatur, qno fit, ut et fluidum annomaliter mixtum secernatur, quod singula principia in se soluta tueri, non valet, unde ex aggregatione extrinsecus corpora aliena originem ducunt.

Tali modo interea, quali aggregatio, corpora etiam oriri possunt, si membranae functio, absente inflammatione, quacunque ratione est laesa, e. g. si vasa resorbentia asthenia laborant, ita ut secretum non resorbtum valde augeatur et intra longum tempus immutatum in articuli cavo remaneat. Dein singulae cartilaginum, praecipue in articulo genu, particulae vi externa defringi possunt, quae tunc accumulatis, partibus synoviae constitutivis crescant; nam et in vesica urenaria ad secretionem normalem, nucleo dato, lapides formantur. Aliam rationem ad corpora illa formanda glanduiae Haversianae, supra in anatomia descriptae, praebent. Dum nempe membranae inflammatio resolvitur, cuiusdam glandulae inflammatio, ut saepe occurrit, ad indurationem exit. Iam vero glan-

dula illa indurata, ut semiorganum organismo non obnoxia, vasis sensim susimque obliteratis, membranae synoviali adhaeret, usque dum frictione, tempore aliquo praeterlapso, haec coniunctio solvitur, et nunc illa tanquam corpus alienum in articulo natat. Eodem modo membrana synovielis ipsa inflammata corporibus originem praebere potest, dum quibusdam locis oriuntur excrescentiae; quod vere similiter factum erat, ubi corpora vel cellulosa vel lamella membranae synovialis intima quasi contecta inveniebantur.

Dyscrassiae denique, praecipue arthritis et rheumatismus corporibus alienis causae fieri possunt; altera, qui omnia fere secreta et excreta in ea magna calcariae phosphoricae copia abundant, quae praecipue in articulis, maxime ab illa occupatis, deponitur; alter, quia saepe efficit hydropem articuli chronicum. — Item certe e tardo synoviae mutatione aetate senili, resorbtis magis fluidis partibus humorum spissitudo quasi intrat, qua et sine complicatoine arthritica massae cartilaginosae tandemque anchylosis efficiuntur.

Diagnosis non difficilis, si vis violenta et membranae synovialis inflammatio antecesserunt, et corpora mobilia, hac durante vel praeterlapsa, in articulo sentiuntur. Si nulli articuli parti adhaerent, neque permagna sunt vel inequaliter formata, facile ab uno ad alterum latus transferri; contrario in uno latere remanentia ad latus antum moveri possunt. In articulo genu saepissime in latere interno reperiuntur, quia latissimum et ligamentum capsulare illo in latere maxime laxum videtur.

Movendo interdum inter ossium condylos cadunt et subito tunc dolorem vehementem efficiunt, ut membrum moveri non possit; si autem inde occasione aliqua, sive rotatione opposita, sive arte, inter cutis tegumenta redacta sunt, statim dolor iste evanescit, et membri functiones sensim restituuntur; si in articulo sistunt, dolor redit et inflammatio intumescentiaque totius articuli oriuntur. Reimarus 1) contra de viro exemplum narrat, qui magnos sentiebat dolores et crus movere non poterat si corpus mobile ad articuli latus sistebat, cui vero doloris levatio intrabat corpore infra patellam remoto. Bell 1) interdum semper in eodem situ perseverare, etsi primantur et articulus moveatur, quo in casu dolor esset durans, raro autem vehemens; in mobilibus contra subinde tantum, tunc autem vehementissimum se ostendere, nobis tradidit. Quod si saepe fiat, aegrum quamque motionem adeo timere, ut nullo modo se moveat, ne doloris redeundi occasionem praebeat; imo homines, quibus minimus articuli motus tantos effecisset dolores, ut illos somno altissimo excitassent, se novisse certiores nos facit. Difficilior est diagnosis, ubi corpora ista in articulorum cavis permanent, quia alicui eorum parti adhaerent, quo in casu, si primuntur, inflammationem adducunt. Quae tamen inflammatio a thraumatica causis distinguenda, si quidem vis quaedam violenta vel motiones tam fortes, quibus articnli distorsio et ex-

---

1) Dissertat. de fungo articul. §. 54
1) l. c.

inde inflammatio adduci posset, antecesserunt; ab arthritica autem et rheumatica eo, quod subito oriatur ex motu, et dolor tumorque quiete tollantur, rationi autem convenienter non restituatur mobilitas, quod dolor motione certa aliqua semper, alia autem fortuita interdum liber articuli usus redeat, quod unus vulgo articulus laboret, et ubi pluri nihil a diei tempore ab aeris constitutione, a tempestate bona vel mala dependeat. Rheumatismus et arthritis si iis sunt complicatae, et corpora digitorum tactu deprehendi non possunt, optimum existentiae signum, quod dolor, antea obtusus, movendo subito fiat vehemens et omnino membrum moveri non possit.

Quod ad prognosin attinet, melior est, si corpora quacunque articuli cum parte cohaerent, quia pro spatio dato se formant, et locum occupatum facile deserere non valent; peior, si soluta, libera, et praecique, si laevia, lata, compressa, quia in membris movendis facillime in articulos illabuntur. Prognosin meliorem praebent corpora causis thraumaticis exorta, quam totius corporis affectione, e. g. arthritide, inducta; sic etiam infausta redditur prognosis, ubi morbus articuli topicus haud tollendus haecce corpora gignit. Quacunque autem forma et fabrica reperiantur, sive mobilia sint sive fixa, semper sunt periculosissima, cum impediant, quominus articulus bene et secure moveatur, saepe articuli inflammationem adducant, et exinde, ut antea enarravi, mortem ipsam efficere valeant.

Quoad medendi rationem tam vis medicatrix naturae quam medicamina parum nihilqne valent, et in nulla fere curatione nissi in operatione salus. Ubi vero corpora aliena e dyscrasia aliqua orginem ducunt, haec antea remediis internis tollenda. Quum articulorum vulnera periculosissima semper appareant, et mortem ipsam interdum adducant, corporum extractio operatione adeo timebatur, ut ipsa membri amputatio ei anteponeretur. Bell 1) hac de re: Multl chirurgi, inquit, hanc operationem tam parum habent periculosam, ut eam omnibus in casibus adbibere suadeant, ubi dolor vehementissimus. Ipse vidi casus duos, ubi, extractione facta, vulnera facile sunt sanata; postea autem et multos, ubi operatio tam malas secum duxit sequelas, ut ad membrum amputandum coacti simus.

Nihil mihi cognitum, quod inflammationem tam acrem provocaret, quam hic intrare solet. Haec non modo ad articulum finita, sed totum membrum infra et supra vulnus rigidum redditur, et cum dolorifica inflammatoriaque intumescit tensione, quae ab uno ad alterum eius finem se extendit. Exitus huius opperationis iucertus semper valde dubios reddere nos oportet, utrum persuadeamus ad eam nec ne. Sententia mea, de hac re multa experti, haec: Si talia in articulorum capsulis corpora gignita reperiuutur mobilia, digitisque huc et illuc poni possnnt, eorum extractionem ad do-

---

1) l. c.

lorem, si acerrimus est, removendum audere, et articulum cura quam maxima aperire debes; ubi autem suspicaris, ne haecce corpora alicui articuli loco adhereant, aegroto multo magis suadeas, ut dolorem, quanta possit, patientia ferat, neque vehementer se moveat, quam ut periculo cum operatione coniuncto subjiciatur. Dolor interea et ,in quiete intolerabilis fieri potest, quo casu ad membrum amputandum suaderem, quae dura quidem et molesta, minus autem dolorifica et periculosa, quam si corpora adhaerent, extractio. ,,Hae aliaeve observationes plnres, praecique anglicos chirurgos, Middleton, Gooch, Hey, Brodie 1) eo moverunt, ut corpora mobilia extra articuli cavum diversis vinculis firmarent, et sic periculum, quod eorum illapsus in articulum secum ducit, impedirent; neqne solum veresimile est, haecce corpora, si diu eodem modo cum organismo couiunguntur, illo loco concrescere, et sic minus fieri periculosa, sed etiam sensim sensimque solvi et resorberi, quomodo enim vasorum resorbentium vis cuiusdam partis compressione excitatur, e marginum callosorum, fere anorganicorum, resorbtione intelligimus. Ubi igitur corpora mobilia e dyscrasia aliqua, adhuc florente, origiuem ducunt, ubi aeger operationi se snbmittere non vult, ubi membrum quiete quam diutissima frui potest, haec curutionis methodus instituenda, cum multis in casibus faustum secum trahens exitum sit observata. E

---

1) l. c.

contrario autem, si aegrotum membro uti oportet, si corpora sine complicatione et mobilia, aut etsi adhaerentia, tamen inter cutis tegumenta transferenda, si, sive magnitudine, sive forma, dolores vehementes, totius saepe articuli inflammationes et exinde totam eius inutilitatem efficiunt, si deligationis apparatus est molestissimus vel nihil valens opperatio suscipienda.

Omnes fere de hoc morbo auctores operationem vario modo descripserunt; hic, cum mihimet ipsi non sint observationes, tantum de omnibus generatim loquar. Ne oriatur magnus inflammationis gradus, opus est, ut omnes articuli partes antea inflammatione careant, ut aeger antea per aliquot dies quiescat, et iam per eos antiphlogisticum introducatur reginem. Operatio ipsa, aegro pro commodo sedente vel iacente, hoc modo fiat, ut, qui operationem efficiat, cute a socio ad latus tracta, ne, incisione facta, aër articuli cavum occupet, et dum prima instituitur intentio, in eo lateat et sic secum ducat damnum; corpus aut corpora, ad summum articuli locum translata, ut quam minima effluat synoviae copia, digitis manus sinistrae comprehendat, et cultro dextra arrepto cutem tantum et musculos seiungat, ut, vasis fortasse percisis, quominus sanguis in articulum fluat, impediatur. Tunc cetera dissociantur tegumenta, paulum maiori spatio, quam corporum volumen sistit. Quo facto facile corpora prosilient si mobilia; si autem cohaerentia, mitissima ratione forcipe in apicibus obtuso sunt separanda. Nunc chirurgus, digitos non elevans, ne spatium vacuum oriatur, tunicam retractam in situm normalem

resilire sinit, ita ut eius vulnus membranae synovialis et ligamentorum vulneri non respondeat, et istud tunc pro magnitudine sutura humida siccaque vel hac solummodo coniungit. Ligatura sicca e fundo incipienda et ita imponenda, et eius partes supra vulnus secentur, ea tamen providentia, ut postea in fundo perscindatur, ne articulus, si intumescit, infibuletur. Denique fomentationes frigidae regimenque antiphlogisticum ad afflammationem sequentem imminuendam instiduenda. Inflammatio febrisque, si exinde exortae, pro gradu et natura curandae; plura corpora eodem momento sunt extrahenda. Si in diversis articuli lateribus posita denuo post aliquot tempus operatio instituenda.

Historia morbi.

Sophia Mueller, quatuor et triginta annos nata, constitutione laxa et hysterica, aestate praegressa, cum gravida esset, saepe in genu delapsa est, et tempestatis mutationibus nimis se exposuit. Lapsus per se nunquam articuli inflammationem secum duxerunt, causa autem alia, cum priori fortasse coniuncta, sensim sensimque sine magno dolore aliisve inflammationis symptomatibus aquae copiam in genu dextro procreavit. Tumor, inde exortus, valde fuit extensus, attamen circumscriptus neque dolorificus, undulavit, cutem non mutavit, et vix, quominus membrum moveretur, impediit. In latere externo superioris articuli partis digitorum contacte corpus nucis avellanae magnitudine, interdum etiam alterum minoris circuitus animadversum est, qnod utrumque digitis impressum facile, ut mihi viedebatur, non in articulum, sed infra tendinem musculorum extensorum est illapsum, quod ex magna membranae synovialis extensione fieri potuit, qua re constat, aegrotae motiones ipsas nullam attulisse molestiam nisi quod mox defatigata est,

Ipsa nunquam sibi conscia fiut, hisce corporibus se laborare, qua re investigari non potuit, utrum hydrops an corpora aliena prius extiterint. Medicaminibus internis et externis quam maxime diversis ad aquam resorbendam frustra adhibitis, tandem tertio die m. Martii anni MDCCCXXVII, regimine antiphlogistico per aliquot dies ante instituto, operatio auctore

Ill. Rust hoc modo facta est: Cute supra corpus digitis manus sinistrae extensa, et, cultro dextra arrepto, usque ad corpus insisa, hoc forcipe a parte, qua membranae synoviali ad haerebat, solutum et extractum est. Tum vulneris marginibus sutura sicca coniuntis genu fomentationes frigidae sunt impositae.

d. IV. Genu valde intumescit et dolet, quae phaenomena fomentationibus frigidis fortasse e causa rheumatica augentur, qua re, hirudinibus viginti quinque in genu positis, fomentationes calidae ex aqua saturnina adhibentur.

d. V. Febris inflammatoria oritur, articulus magis magisque intumescit, infra et supra genu ad tumorem imminuendum fasciae imponuntur.

d. VII. Sutura et fasciae solvuntur, quia prima intentio frustra est tentata, vulnus male suppurat, intumescentia dolorque valde aucti sunt. Denuo applicantur hirudines et inunctiones unguenti hydrargyri cinerei.

d. IX. Materia, quae e vulnere profluit, malum praebet odorem et ex viride flavum colorem, veresimiliter ab immixta synovia. Febris vehementior durat. Ad potum ordinarium aegrota aceipit:

R. Acid. tartarici Drachm. duas.
Sacchari albi unc. IV.
M.

d. X. Rursus ob inflammationem hirudines quindecim applicantur, et ad usum internum:

R. Emulsionis papaver. unc. VI.
Nitri depurati Drachm. I.
Aquae lauro-cerasi Drachm. II.
M. D. S. Zweistündl. 1 Essl. voll.

d. XII. Eebri signa gastrica se sociant, igitur hoc emeticum, quod etiam naturae mali rheumaticae respondeat, datur:

R. Pulv. radic. Ipecacuanhae scrup. I.
Tartari stibiati gr. I.
Oximellis Scillae unc. dim.
Aquae fontanae unc. III.
M. D. S. Viertelstündl. 1 Essl. voll bis Erbrechen eintritt.

d. XIII. Membrum valde est calidum. pus correptum et malum spergens odorem se demisit inter femoris musculos, dolor urens. Dilatato vulnere magna puris copia cum dolorum levatione effluit. Applicantur hirudines viginti quinque et fomentationes frigidae. Febris durat, vires labuntur.

d. XVI. Tumor, dolor et magnae puris copiae effluxus perdurant. Ad usum internum:

R. Liquoris Ammon. acetici
Syrupi mannati aa nnc. unam et dim.
Aquae fl. Sambuci unc. III.
M. D. S. Zweistündl. 1 Essl. voll.

d. XVIII. Vulneris alligatura fit e linteo carpto cum fomentationibus calidis. Febris vehementior, cutis ardens et sicca, pulsus frequentes, parvi, debiles.

d. XX. Fomentationes calidae ex infuso Chamomillae et aqua saturnina imponuntur. Puris corrupti nimis fluidi secretio valde aucta, et exinde febris sup-

puratoria vires eagrotae magis magisqne exhauriens. Regimen diaeteticum instituitur leniter roborans.

d. XXIII. Oedema totum crus occupat, cutis infrà genu livide rubescit, et in latere externo pustulae sero impletae exortae sunt. Vulnus impurum et pussecernens putridum. Febris natura itidem putrida, facies hippocratica, pulsus minimi celerrimique ad usum internum:

R. Radic. Serpentariae drach. II.
infunde
Aq. fervidae q. s.
ad colat. unc. VI
adde
Aetheris acetici, drach. I.
Syrupi Aurantior. unc. I.
M. D. S. Zweistündl. 1. Essl. voll.

d. XXVI Tegumentis totius fere cruris gangraen acorreptis, viribusque per febrem durantem plane exhaustis, aegrota nocte praeterita est mortua.

V I T A.

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTA.

Ego, Henricus Adolphus Koehler, die XXVII mensis Iunii anni MDCCCIII Treptoviae ad Tollensam, Antepommeraniae oppido, a patre optimo, medico practico, et ex matre carrissima, e gente Saueriana, natus sum. Iam puero, vix tres annos nato, pater praematura morte mihi ereptus est, matre optima adhuc gaudeo. In literarum elementis in schola domi florente edoctus sum, tum Berolinum me contuli, et discipulorum numero gymnasii Ioachimsthal adscriptus et usque ad XVIII aetatis annum moratus sum. Dein inter seminarii Eriederici Guilielmi medico-chiruigici alumnos receptus, octo per semestria hisce interfui praelectionibus: Illustr· Link de botanice, historia naturali, materia medica: Cel. Wolff de logice et psychologia; Cel. Hecker de Celso; Illustr. Rudolphi de enzyclopaedia medica, anotomia universa et organorum sensuum, entozo-logia atque physiologia; Illnstr. Knapg de osteologia, splanchnologia, syndesmologia et arte formulas medicas concinnandi. Iu arte cadavera rite dissecandi Illust. Rudolphi et Illustr. Knape duces mihi fuerunt. Praelectionibus Cel. Eck de physiologia; Illustr. Hermbstaedt de pharmacia; Cel. Turte de chemia, physice et phar-

macia; Cel. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice ac therapia generali et speciali; Illustr. Horn de pathologia speciali et de morbis mentis; Cel. Kluge de chirurgia generali, de morbis ossium primitus mechanicis, de arte obstetricia et de arte fascias rite imponendi; Cel. Iuengken de ophthalmiatrice; Illustr. Graefe de akiurgia; Illustr. Rust de chirurgia universa et cursu operationum una cum Cel. Kluge, Illustr. W. Hufeland de therapia speciali atque semiotice; Illustr. Knape et Cel. Casper de medicina ferensi interfui, neque exercitationibus clinicis Illustr. Neumann, Illustr. Graefe, Illustr. Rust, Cel. Kluge Ill. Hufeland abfui.

Hisce studiis peractis medici inferioris in nosocomio caritatis per annum munere functus sum. Jam vero tentamine et examine rigoroso superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina utraque honores in me conferantur. Quibus factis, ut medici militaris officiis mihi traditis satisfaciam, Postampium proficiscar.

THESES DEFENDENDAE.

1) Haemorrhagiae in partu exortae remediis solummodo externis sunt sedandae.
2) Haemorrhagia non est morbus per se, sed symptoma morbi.
3) Delirium sic dictum tremens pro indole ab encephalitide differt.
4) Sphacelum inflammatio semper non antecedit.
5) Sanguini inest propulsionis vis.